EPISTOLA GREGORII XV. PONTIF. MAX.

AD

Serenißimum Principem,

CAROLUM,

JACOBI Britanniarum Regis Filium, Principem Walliæ.

Ad exemplum Parisiense recusa.

Cui recèns accedit ejusdem Sereniſſimi Principis ad eam Reſponſio.

Anno M. DC. XXIII.

Ex
Bibl. Acad.
Mar.
Magyar.

BREVE S. D. N. PAPÆ.

GREGORII XV.

NOBILISSIMO VALLIÆ PRINcipi, Magnæ Britanniæ Regis Filio,

GREGORIUS PAPA XV.

NObilissime Princeps, salutem & lumen divinæ gratiæ. Britannia illustrium virorum, ac virtutum ferax, cùm utrumque terrarum Orbem nominis sui gloriâ impleat, Pontificias etiam cogitationes sæpissimè ad suarum laudum spectaculum evocat. Illam enim in ipsis nascentis Ecclesiæ cunabulis tanto studio Rex regum seligere voluit hæreditatem sibi, ut illuc non ferè prius Romanorum Aquilæ quàm Crucis vexilla penetrasse dicantur. Porrò autem non pauci eius Reges scientiam salutis edocti, exterisque nationibus, ac consequentibus ætatibus præbentes Christianæ pietatis exempla, crucem sceptro, & religionis disciplinam dominationis cupiditati prætulerunt. Itaque cùm in cœlo promeruerint principatus beatitudinis sempiternæ, consequuti sunt in terris triumphalia sanctitatis ornamenta. Hoc autem tempore quo Anglicanæ Ecclesiæ status immutatus est, humanis tamen virtutibus Anglicanam Regiam ornari, atque communiri perspicimus, quæ charitatis nostræ solatia & Christiani nominis decora forent, si ea haberi possent orthodoxæ veritatis præsidia. Quare quo nos Sereniſſimi Parentis gloria, & regij ingenij tui indoles magis oblectat, & ut ardentiùs cupimus, vobis cælestis Regni fores patefieri, atque universæ Ecclesiæ amorem conciliari. Tum cùm sanctissimæ memoriæ Pontifex Gregorius Magnus Angliæ populis, Regibusque evangelicas leges & Apostolicæ auctoritatis cultum intulerit, Nos ut sanctimoniâ ac virtute longè inferiores, ita nominis similitudine, atque dignitatis fastigio pares, beatissima eius vestigia sequi par est in

ãstarum provinciarum salute curanda, præsertim cùm hoc tempore ad alicuius non vulgatis fœlicitatis spem Nos erigat consilium tuum, nobilissime Princeps. Quare cùm in Hispanias ad Catholicum Regem te contuleris Austriaci conjugij cupidum, desiderium hoc tuum laudare apprimè voluimus, tum etiam luculenter etiam in præsenti rerum oportunitate testari, te ad præcipuas Pontificatus nostri curas pertinere. Cùm enim Catholicam virginem matrimonio tibi jungere studeas, facilè coniicere possumus, vetera illa Christianæ pietatis semina, quæ in Regum Britannorum animis adeò fœliciter floruerunt, in visceribus suis Deo incrementum dante revirescere posse. Neque enim ejusmodi nuptias amaret, quem teneret Catholicæ Religionis odium, & Romanæ Sedis oppressio delectaret. Proinde nos accuratissimis precibus assiduè orari jussimus Patrem luminum, ut te Chtistiani Orbis florem, & magnæ Britanniæ spem in eius hæreditatis possessionem perducat, quam tibi clarissimam majores tui pepererunt Pontificiâ auctoritate tuendâ, & hæresium portentis profligandis. Memento dierum antiquorum, interroga patres tuos, & dicent tibi quâ petatur cælum viâ, quod iter mortales Principes insistentes ad sempiterna regna progrediantur. Intuere patefactis cœli foribus sanctissimos illos Angliæ Reges, qui Romam angelis comitantibus profecti dominantium Dominum, & Apostolorum Principem in Apostolica sede coluerunt. Eorum facta atque exempla Dei loquentes voces sunt, quæ te hortantur, ut eorum institutis sectaris, in quorum Imperium pervenies. Fierine poterit, ut tu ab hæreticis eos patiaris impietatis condemnari, & in sempiterni horroris carcere detrudi, quos in cœlo cum Christo regnare, cunctisque terrarum Principatibus præesse, Catholicæ Ecclesiæ fides testatur? ij nunc è beatâ illa patria tibi manum porrigunt, qui sospitem te ad Catholici Regis aulam perduxerunt, atque ad Romanæ Ecclesiæ gremium reducere cupiunt. Ea verò gemitibus inenarrabilibus Deum clementiæ pro tua salute venetans brachia Pontificiæ charitatis protendit, te desideratissimum filium amantissimè complexura, tibique beatam cælestis Regni spem ostentans. Certè Christianæ Reipublicæ nationibus nullum tribuere solatium majus potes, quàm si Principem Apostolorum, cuius auctoritas regnorum propugnaculum, & divinitatis oraculum in Britannia regia tamdiu habita est, in tuæ nobilissimæ Insulæ possessionem reduxeris. Quod quidem haud difficulter continget, si cor tuum, quo regni illius prosperitas continetur, pulsanti Domino patefacies. Tanta charitate regalis nominis laudibus favemus, ut te in orbe terrarum, unà cum Serenissimo parente

Briten-

Britanniæ liberatorem, restitutoremque avitæ religionis nuncupari cupiamus. Quod certè desperare nolumus, freti Deo, in cujus manibus corda Regum sunt, & qui sanabiles fecit nationes orbis terrarum, quem tibi omni qua possumus industria conciliare semper conabimur. Tu verò in his litteris Pontificiæ charitatis solicitudinem agnosce, fœlicitatem tuam curantis; quas certè nunquam nos exarasse pœnitebit, si eorum lectio aliquos saltem Catholicæ Religionis igniculos excitabit in corde tanti Principis, quem diuturna lætitia perfrui, & virtutum omnium gloriâ florere cupimus. Datum Romæ apud S. Petrum, die 20. Aprilis 1623. Pontificatus nostri anno 3. JOAN. CIAMPOLUS Secretarius.

RESPONSIO
SANCTISSIME PATER.

BEatitudinis Vestræ literas non minori gratitudine & observantiâ accepimus, quàm exigebat, qua novimus exaratas, insignis benevolentiæ ac pietatis affectus. Atque illud inprimis gratum fuit, numquam satis laudata majorum exempla inspicienda nobis à V. Sanctitate atque imitanda fuisse proposita: qui licet multoties omnium fortunarum & vitæ discrimen adiverint, quo fidem Christianam latiùs propagarent: haud tamen alacriori animo in infestissimos Christi hostes crucis Christi vexilla intulerunt, quàm nos omnem opem & operam adhibebimus, ut, quæ tamdiu exulavit pax & unitas, in Christianam Rempub. postliminio reducatur. Cùm enim discordiarum pacis malitia inter illos ipsos qui Christianam profitentur religionem, tam infelicia seminârit dissidia, hoc vel maximè necessarium ducimus ad sacrosanctam Dei ac Salvatoris Christi gloriam feliciùs promovendam, nec minori nobis honori futurum existimabimus, tritam majorum nostrorum vestigiis insistentes viam, & piis ac religiosis susceptis illorum æmulos atque imitatores extitisse, quàm genus nostrum ab illis atque originem duxisse. Atque ad idem nos istud plurimum inflammat perspecta nobis Domini Regis ac patris nostri voluntas, & quo flagrat desiderium ad tam sanctum opus porrigendi manum auxiliatricem, tum qui pectus regium exedit dolor, cùm perpendit, quàm sævæ exerceantur strages, quàm deplorandæ calamitates ex Principum Christianorum dissensionibus. Judicium porrò, quod Sanctitas Vestra

tulit de noſtro cum Principe Catholicâ affinitatem & nuptias contrahendi deſiderio, & Charitati veſtræ conſentaneum eſt, nec ſapientiæ inventu alienum. Nunquam tanto quo ferimur ſtudio, nunquam tam arcto atque indiſſolubili vinculo ulli mortalium conjungi cuperemus, cujus religionem odio proſequeremur. Quare Sanctitas Veſtra illud in animum inducat, eâ modò nos eſſe ſemperque futuros moderatione, ut quàm longiſſimè abfuturi ſimus ab omni opere, quod odium teſtari poſſit ullum adverſus religionem Catholicam Romanam. Omnes potiùs captabimus occaſiones, quò leni benignóque rerum curſu ſiniſtræ omnes ſuſpiciones è medio penitus tollantur: ut, ſicut omnes unam individuam Trinitatem, & unum Chriſtum crucifixum confitemur, in unam fidem unanimiter coaleſcamus. Quod ut aſſequamur, labores atque vigilias, regnorum etiam & vitæ pericula parvi pendemus. Reliquum eſt, ut, quas poſſimus maximas pro literis, quas inſignis muneris loco ducimus, gratias agentes, Sanctitati Veſtræ omnia proſpera & fœlicitatem æternam comprecemur.

FINIS.